

obvenientibus; ſcribitque, ſe iſtanter per Communitatem Regni ſui rogatum, ut prædictis diſpendiis occurreret.

XXX. Anno ſequenti reſpondens Pontifex, inter alia dicit, quod litteræ Regiæ innuere videantur, „ quod ſuper reſervationibus & proviſionibus Eccleſiarum (ait) in tuis tibi parliamentis liceat aliquid ordinare, quodque reſervationes & proviſiones Apoſtolice à tua dependeant voluntate. Profectò dilectiſſimè fili, illa concordia, quam in tuo Parlamento habitam tuæ prædictæ deſcribunt litteræ, nimis exiſteret temeraria, & divinis conſtitutionibus inimica, per quam Apoſtolice Sedis reſervationes & proviſiones dependerent ex tuo voluntatis arbitrio, tuque per ipſas poteſtatem ejuſdem Sedis Apoſtolice, quod præſanum eſt dicere, coarctares: quamquam Nos, qui Eccleſiarum omnium, tamquam Paſtor univerſalis earum inſigilamus commodis, uti non intenderimus nec intendamus reſervationibus & proviſionibus huiusmodi, niſi quantum utilitatibus & neceſſitatibus Eccleſiarum ipſarum crediderimus expedire.

XXXI. Deinde hanc auctoritatem ſpeciali jure Eccleſiæ Rom. aſſerens, dicit, eam non ab Apoſtoliſ, ſed à Chriſto eſſe fundatam; „ Non enim quævis terrena ſententia (ait) ſed illud *Verbum*, per quod conſtitutum eſt cælum & terra, elementa, eandem Romanam fundavit Eccleſiam: quæ quidem omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedralis Eccleſias, & ipſarum cujuſlibet Ordinis dignitatem inſtituit: ad cujuſ Paſtorem & Rectorem Eccleſiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium Eccleſiarum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio noſcitur pertinere.

XXXII. Demum circa ſæculum 14. exorto luſtuoſo illo ſciſmate in Eccleſia Romana, quod per quadraginta & amplius annos Eccleſiam in duas aut ſubinde tres partes diviſit, mirum! quantopere Pontifices, quorum alter Romæ, alter verò Avenione ſedebat, hæc reſervationes, & expectativas extenderint, ipſarumque Beneficiorum proviſiones, quò ſuis Familiaribus & adherentibus providerent, ſibi attraxerint; quemadmodum apud Nicolaum Clamengis Theodoricum Nièmi alioſque Scriptores coævos, qui ſciſmatis huius hitoriam, nec non Pontificum unius & alterius obedientiæ vitas ſcripſerunt, videre eſt.

XXXIII. Cum autem circa initium ſæculi 15. eſſet Congregatum Concilium Conſtantienſe, tam pro extinctione ſciſmatis, quam pro reformatione abuſuum, qui occasione ſciſmatis ſupra modum irreperant, & altas radices egerant, etiam de reſervationibus reſtringendis, & reſtituendis collationibus Collatoribus ordinariis actum eſt; atque inter articuloſ reformationis faciendæ per Papam unà cum Concilio, antequam diſſolvatur, ordine ſecundus fuit: *Item De Reſervationibus Sedis Apoſtolice*, ſeſſ. 40.

XXXIV. Super hoc articulo aliquid in Concilio Conſtantienſi ſtatutum fuiſſe non legitur; at ſcribitur, quòd Martinus V. in Concilio Conſtantienſi electus *quatuor* menſes voluerit eſſe liberò ab expectativis ſeu Mandatis; quod & Eugenium IV. Martini ſucceſſorem confirmàſſe ſcribitur; atque ab eo tempore regulam *De Offi* publicatam fuiſſe credunt; de quo latius infra *cap. 4.*

XXXV. Interim hiſce non contenti Collatores ordinarii ruruſ in Concilio Baſilienſi abrogationem reſervationum, & liberam Beneficiorum collationem urgere ceperunt; ac tandem materià diſcuſſà, primò *ſeſſ. 12.* ſtatutum; „ De cætero generalem reſervationem omnium Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiarum, & Monafteriorum ac Dignitatum *electivarum* per Romanum Pontificem de cætero fieri, aut facta uti non debere, reſervationibus *in Corpore Juris clauſis*; & hiſ quas „ in terris Romanæ Eccleſiæ ratione directi vel utiliſ domini, mediatè ſeu immediatè ſubjectis fieri contingerit.

Addebat autem Concilium, ut nihil contra „ hoc Decretum Papa attentaret:“ additâ hac exceptione: „ Niſi „ ex magna, rationabili, & evidenti cauſa in litteris Apoſtolicis nominatim exprimenda.

At hanc clauſulam *ſeſſ. 23. cap. 5.* revocavit, eò quòd nonnulli contra mentem Synodi eâ abuterentur, uti ex integro contextu Decreti (quod ſupra *parte 1. tit. 13. cap. 2.* relatum eſt) cognofci poteſt.

Deinde eadem *ſeſſ. c. 6.* „ ipſas omnes (reſervationes) „ tam generales, quam ſpeciales ſive particulares, de quibus „ buſcumque Eccleſiis & Beneficiis, quibus tam per electionem, quam collationem, aut aliam diſpoſitionem „ provideri ſolet ſive per Extravagantes, *Ad regimen, & Execrabilis*, ſive per regulas Cancellariæ, aut alias Apoſtolicas Conſtitutiones introductas, hæc ſancta Synodus abolet, ſtatuens ut de cætero nequaquam fiant, reſervationibus *in Corpore Juris expreſſe clauſis*, & hiſ quas in „ terris Romanæ Eccleſiæ ratione directi ſeu utiliſ domini „ mediatè vel immediatè ſubjectis fieri contingerit dumtaxat exceptis.

XXXVI. Decretum hoc ambabus ulniſ Clerus Gallicanus amplexus eſt; atque auctoritate Caroli VII. in conventu Bituricenſi Sanctione Pragmaticâ inſertum fuit: & pro lege obſervari voluit.

At poſtmodum Sanctione Pragmaticâ ſub Leone X. in Concilio Lateranenſi abrogata, & in ejus locum ſurrogato Concordato inter ipſum Leonem & Franciſcum I. Mandatorum Apoſtolicorum uſus aliquantulum reſtitutus fuit uti videri poteſt in dicto Concordato titulo *De Mandatis Apoſtolicis*, & capite ſequenti latius dicitur.

XXXVII. Non ubique eadem veneratione Decreta Concilii Baſilienſis recepta fuiſſe notorium eſt. Unde & uſus reſervationum in multis locis, non obſtante dicto Decreto, remanſit, quemadmodum de Germania ſufficienter probat Concordatum initum inter Fredericum Imperatorem & Principes Nationis Germanicæ, & Nicolaum V. ubi reſervationum uſus in multis ipſi Sedi Apoſtolice conſervatur, uti ex textu Concordatorum cuique obvium eſt videre.

XXXVIII. In hiſce quoque Belgicis Provinciis poſt Concilium Baſilienſe reſervationes ac proviſiones Sedis Apoſtolice admiffas fuiſſe fatiſ conſtat: probatque Edictum Philippi Pulchri Patris Caroli V. evulgatum Brugis 20. Maji 1497. in quo quidem referuntur querelæ Procuratoris Ficalis ſeu Regii, quod per proviſiones hæc nonnunquam illiterati, idiota patrium ignorantés, quin & ſubinde ipſi Principi ſuſpecti in Beneficia etiam majora intrudantur, atque tamen earum uſus nec aboletur, nec reſtringitur: at id unum „ mandat princeps omnibus ſuis ſubditis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus cujuſvis conditionis; ne exquantur, aut exequi patiantur ullas litteras expectativas aut reſervativas, proceſſus, ſententias executoriales aut ullas Bullas aut proviſiones Apoſtolicas ſuper beneficiis ſitis in hiſce Provinciis ſub pena privationis fructuum & effectuum eorumdem, ex illiſ extra has Provincias, punitionis exemplaris, & inhabilitatis gaudendi fructibus ullius Beneficii ſiti in iſdem Provinciis priuſquam dictæ Bullæ & Proviſiones Apoſtolice viſæ ſint in ſupremo Senatu Regio, atque litteræ patentes conſenſus Regii „ pro earum executione expedite fuerint.“ Habetur integrum Edictum in prima parte Edictorum Flandriæ *lib. 1. Rubrica 8.* ubi *num. 1.* referuntur & aliud Edictum Maximiliani & Philippi Archiducum Auſtriæ de anno 1484. & renovatum anno ſequenti ſuper eadem materiâ diciturque, in hiſce Provinciis plures quam in aliis Regnis admiffas fuiſſe expectativas aliaſque ſimiles proviſiones Apoſtolicas.

Cæterum de dicta clauſula Edicti inhibente executionem

nem Bullarum Apoſtolicarum ſin: litteris Regiis, quas hodie *Placet* dicimus, agetur titulo ſequenti, ubi ostendetur quis ſit ſcopus & effectus huius clauſulæ & edicti.

XXXIX. Refert ex Cardinali Papienſi Odorico Raynaldus ad annum 1464. *num. 67.* „ agitatum fuiſſe in Conſitorio Cardinalium de concedendis, vel non concedendis gratiis, quas *Expectativas* appellant, ac varias diſcrepantes fuiſſe Patrum ſententias, nonnullos non concedendas opinatos tamquam Præſulibus Eccleſiarum admodum exoſas; Joannem verò Carvialem Episcopum Portuſenſem contra ſenſiſſe: is „ (inquit) *Die laboraſſe dixit Sedem Romanam antequam poſſet aſſequi, ut paterentur ordinariis gratias in ſuis diœceſibus dari & negligendam ideo prærogativam non eſſe tam multis acquiſitam moleſtiſ, ubi enim per unum tantum Pontificem deſita eſſent dari, futurum ut dari amplius non poſſent ſine ſcandalo, differendam tamen menſes aliquot, donec novi Pontificatus Nuntius ad nationes & Principes perveniſſent.* Addit Papienſis; „ Pontificem ac majorem partem in Portuſenſi „ iudicio conſenſiſſe.“ Hæc Raynaldus.

Ex hiſ fat conſtat, abolitionem reſervationum & expectativarum factam in Concilio Baſilienſi non ubique receptam; quòd & evincunt ea quæ de hac materiâ in Concilio Trident. propoſita & decreta ſunt, de quibus capite ſequenti.

CAPUT II.

Quid circa expectativas & reſervationes actum in Concilio Tridentino?

1. *Conventus delectorum Cardinalium ſub Paulo III. cenſes expectativas abolendas.*
2. *Idem petiit nomine Regis Gallie in Concilio Tridentino.*
3. *Sententia Bartholomæi de Martyribus dicta in Concilio Tridentino ſuper mandatis De providendo.*
4. *Cardinalis Lotharingia ea abolenda iudicavit.*
5. *Quid de hiſ cenſuerit Didacus Covarruvias?*
6. *Decretum Concilii Tridentini circa expectativas & reſervationes.*
7. *Expectativa aliaſque gratia ad vacatura per Concilium Tridentinum omnino ſublata.*
8. *Ereçtio Canoniciſ ſupernumerariis cum jure ad futuram præbendam vetata.*
9. *Sublata reſervationes mentales; & quales hæ fuerint?*
10. *Predictæ gratia nec Cardinalibus concedi poſſunt in derogationem juris Ordinariorum.*
11. *Concordata Gallie Mandata De providendo reſervant.*
12. *Hiſ per Concilium Tridentinum derogatum credunt Galli.*
13. *Concilium Tridentinum Proviſiones Apoſtolicas conſervavit.*
14. *Etiã hodie reſervationibus deſertur.*

I. Inter abuſus, quos in Synodo Tridentina reformandos notavit Conventus delectorum Prælatorum ſub Paulo III. notatur: „ Alius abuſus eſt in *expectativis*, viſ & reſervationibus Beneficiorum, quibus & datur occaſio, ut aliena mors deſideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum ſupremum dignioribus cum vacant, dant litibus cauſam. „ Omnes hæ putamus tollendas eſſe.

II. Similiter inter articuloſ nomine Caroli IX. Regis Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

Gallie Patribus Trid. oblatos, vigelimus primus erat hiſ verbis expreſſus: „ Mandata de providendo, expectativa, reſerſus, ſiduciariæ reſignationes, & commenda revocentur, & omnino arceantur ab Eccleſia, veluti Decretis contraria.

III. Cardinalis Pallavicinus *lib. 23. hiſt. Concil. Trid. cap. 7. num. 7.* refert, quòd nominatiſſimus ille Bracarenſium Archipreſul Bartholomæus De Martyribus recenter Româ rediit, multa de propoſitione Pontificis ad reformationem dixerit; atque illuſtri præconio in cælum extulerit integritatem probitatemque Caroli Cardinalis Bortomei, ad eò ut dixerit, *Obſtacula ſalutari emendationi non à Pontifice, nec ab ejus ſororis filio* (Carolo Bortomeo) *ſed à nobis injici: & adjecit: hinc ſibi animum acceſſiſſe, quò majori ſtudio ac fervore ſuam impenderet operam ad ea cogitanda, & in Concilio exponenda, quæ tantum opus promoverent.* Deinde notat Pallavicinus: „ Id quod in dicenda ſententia maximè notabile auditum eſt, actis reprehenſio „ fuit, quâ invectus eſt in *mandata providendi in forma pauperum*, ſicuti dicebantur. In proventibus Eccleſiaſticis diſtribuendis ſpectandam eſſe doctrinam & virtutem, non paupertatem, cum oporteat conſulere re muneribus, non hominibus: egenibus ſubveniendum eſſe per eleemoſynas, non per Sacerdotia.

IV. Similiter Cardinalis Lotharingia Româ quoque cum Bartholomæo rediit, in eadem Congregatione ſententiam ſuam circa capita reformationis exponens, „ improbavit etiam *mandata providendi*; narravitque, „ mentem eſſe Pontificis ut ea tollerentur.“ Pallavicinus loco citato *num. 11.*

V. Deinde *num. 12.* ait: „ In hanc ſententiam ivit „ Didacus Covarruvias Episcopos Civitatenſis; monuit, huiusmodi mandatorum uſum fuiſſe inductum, „ cum Episcopos cuncta Sacerdotia diſtribuebant, nec tam multa reſervabantur, ex quibus tunc Romanus „ Pontifex abundè habet ut per ſe ipſum ea conferat.

VI. Hiſce aliſque rationibus permoti Patres Decretum hoc evulgarunt *ſeſſ. 24. cap. 19. De Reformat.* „ Decernit ſancta Synodus, Mandata de providendo, & gratias, quæ *Expectativa* dicuntur, nemini amplius, „ etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus, & aliſ singularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut „ ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi, nec hætenus conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſervationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ „ ad *vacatura*, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel monaſteria alicui, etiam ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cathedralibus, concedantur, & hætenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.

VII. Hoc Decreto omnia tolli Mandata de providendo, expectativas & gratias quaſcumque *advacatura*, quæ olim à Pontifice impetrari ſolebant de beneficiis ad collationem vel proviſionem Episcoporum, Capitulorum aut ſingularium perſonarum ſpectantibus, evidens eſt; & notat Gonzales ad regulam 8. Cancellariæ §. 2. *proœmiali num. 57.* qui deinde ſubjungit: „ Ideoque cum jam redierint illa ſælucia tempora Decretorum, quando nullæ erant expectativæ, vel modò minus moderni Episcopos querelam formare valebunt, de expectativarum obſtaculis. Et plura, ac plura juſta, quæ ſunt ſub titulis de reſcriptis, de præbendis, & de conceſſione præbendæ, tam in Decretalibus quam in Sexto, & Clementinis, ac Extravagantibus, unâ cum eorum gloſſis, & tractatibus de expectativis per Doctores compoſitiſ, jam hodie evanuerunt, & ab aula receſſerunt.

Monet quoque *num. 63.* Expectativas per Concilium Tridentinum eſſe omnino ſublataſ, etſi illæ factæ ſint de conſenſu Ordinariorum; & ita declaràſſe S. Congregationem.

VIII. Declaratum quoque fuiſſe, hodie non poſſe erigi *Canonatum ſuper numerarium ad futuram præbendam*: quia hæc erectio ſpecies eſſet *Expectativa*. Neque id ipliſ etiam Capitulis licere, eadem Congregatio declaravit. Gonzales ibidem *num. 67.*

IX. Suſtulit inſuper Concilium reſervationes *mentales*. "Erat autem reſervatio *mentalis* (ait Gonzales *num. 67.*) quando Papa reſervabat beneficium vel in ſpecie, vel in genere per Bullam, vel per Breve, ut perſonæ gratæ provideret, quam non exprimebat, ſed *in mente* retinebat; & ſic in nullius perſonæ expreſſæ favorem facta fuerat reſervatio. Tunc enim dicebatur *mentalis*, quaſi in mente retenta, quoad provisionem perſonæ. Deinde quando vacabat beneficium, mandabat fieri provisionem alicui ſub data reſervationis, vel antea, vel poſt, ut ſibi placebat.

X. Ad hæc ut libera ac intacta maneret Episcopis, aliſque inferioribus Collatoribus Beneficiorum ad eorum reſpective provisionem ſpectantium collatio, conſtitutum etiam fuit per Concilium, ne huiusmodi gratiæ, aut reſervationes mentales, aut indulta ad alienas Eccleſias, vel monaſteria alicui etiam ex S. R. E. Cardinalibus concedantur, & hæcenus conceſſa abrogata cenſeantur. Quod & ad amuſſim obſervati videmus, ait Gonzales *num. 76.* obſervatque, quod ſi quæ indulta à Pontificibus concedantur Cardinalibus, ea concedi quoad Beneficia aliis ad provisionem Sedis Apoſtolicæ ſpectantia; adeoque ſine Ordinationum læſione.

XI. In Concordatis Galliæ inter Leonem X. & Franciſcum I. extat titulus De Mandatis Apoſtolicis, quo ſtatuitur & ordinatur, quod quilibet Romanus Pontifex litteras in forma *Mandati* dare poſſit: nimirum, unum Collatorem habentem collationem *decem* Beneficiorum *in uno*; habentem autem collationem *quinquaginta* Beneficiorum & ultra, in *duobus* beneficiis dumtaxat gravare poſſit: ita tamen quod in eadem Eccleſia Cathedrali vel Collegiata unum Collatorem pro tempore in duabus præbendis non gravet.

Ut autem litibus obvietur, quæ occasione litterarum mandatorum huiusmodi oriri poſſent, præſcriptum eſt, hæc mandata dari ſub *forma* ad calcem concordatorum ſubjecta.

XII. Quamvis in Gallia Concilium Tridentinum non fuerit quoad omnes Reformationis articulos receptum, hoc tamen Decretum abolitionis expectativarum ambabus ulnis amplexi ſunt; credideruntque poſt hoc Decretum, hunc titulum Concordatorum *De mandatis Apoſtolicis* ceſſare; uti monet Pinſonius De Beneficiis ad *verbum* INSTITUTIONE §. 6. n. 12. & 13. qui dein n. 14. inferit: "Nuncitaque, & ex præmiſſis concludendum eſt, in ſolis Academiæ Graduatæ, Curiæ Pariſienſis in vim Indultorum Nominatiæ, & Candidatiſ, mandatorum, ſive litterarum *Expectativarum* uſum ad vacatura beneficia, nobis ſuperelle."

De non uſu Concordatorum quoad articulum de *Mandatis Apoſtolicis* teſtatur quoque Claudius Fleurii in *Inſtit. Juris Canonici* lib. 2. cap. 15.

XIII. Potro ſicuti mens Concilii Tridentini fuit, integrum illibatumque ſervare Ordinariorum jus in conferendis Beneficiis, ita nec Pontificis jus de certis beneficiis providendi jam jure Decretalium, vel Extravagantium vel Regularum Cancellariæ ſtabilitum & receptum, tollere aut in ſtringere voluit. Unde licet mandata de providendo atque huiusmodi gratiæ, quibus juri Ordinariorum hæcenus ſtabilito, obſtaculum fiebat, ſint ſublata, ſalvæ nihilominus manſerunt reſervationes illæ, quibus certorum beneficiorum provisione ad Sedem Apoſtolicam jam tum devoluta & ei addiſta erat: eæque etiamnum hodie in plerisque Eccleſiis ſunt in uſu, ſub certis tamen limitationibus & conditionibus, juxta par-

ticulares Eccleſiarum leges & conſuetudines, vel concordata quemadmodum de ſingulis agendo notabitur.

XIV. Cum enim ſpectet dumtaxat ad diſciplinam, ad quem beneficiorum provisione pertineat, nihil juſtius, nihil ad pacem Eccleſiæ conſervandam opportunius, quàm ut conſuetudines & leges jam ſtabilitæ ſerventur, modo id præcipue curetur, ut beneficiorum provisione ad ædificationem Eccleſiæ, & ſine perſonarum acceptione fiat.

CAPUT III.

De Reſervatione Beneficiorum vacantium apud Sedem Apoſtolicam.

1. *Reſervatio alia clauſa in Corpore Juris; alia extra Corpus Juris.*
2. *Famoſior illius ſpecies.*
3. *Reſervatio Decretum hujus Reſervationis.*
4. *Cur hæc Reſervatio indulgetur.*
5. *Declaratio Bonifacii VIII. quoad hanc Reſervationem.*
6. *Hodie reſtringitur ad vocationem per obitum.*
7. *De Beneficiis vacantibus apud S. Sedem debet Papa intra menſem providere.*
8. *Menſe elapſo providet Ordinarius.*
9. *Curri hic menſis à die vacationis, etiam ignorata.*
10. *In aliis Provisionibus tempus Pontifici non eſt præfixum.*
11. *Vacante Sede Apoſtolica poſſunt Ordinarii Eccleſiæ Parochiales in Curia R. vacantes conferre.*
12. *Pontifices ſalutem animarum Reſervationibus anteponendam judicant.*
13. *An collatio Ordinariorum valida ſit facta nondum menſe elapſo?*
14. *Hæc Reſervatio minus cateris odioſa; & quare?*
15. *Huius Reſervationis non cenſetur per generalem clauſulam derogatum.*
16. *Inter dum huic Reſervationi in favorem Regis Galliæ renuntiat Pontifex.*
17. *Non comprehendit Beneficia Juris Patronatus laici.*

I. **R** Amola eſt reſervationis diviſio in eam quæ dicitur *clauſa in Corpore Juris*; & in eam quæ dicitur *EXTRA Corpus Juris*.

II. Prima, & famoſior reſervatio *clauſa in Corpore Juris* omnium conſenſu habetur illa, de qua in *Cap. 2. De Præbendis* in 6. imò credunt nonnulli hanc ſolam dici poſſe reſervationem *clauſam in Corpore Juris*: quemadmodum poſt alios citatos notat Chokier in *Comment. ad Reg. 1. Cancell. n. 23.* atque teſte Gomelio ad *Regulam de Trienniali* 9. 31. dicit antiquus Gloſſator Regularum Cancellariæ. "Quod licet per 23. annos legendo & prædicando, revolverit Jus Canonicum, nihilominus non reperit, niſi unicam reſervationem *in Corpore Juris clauſam*, quæ eſt illa, de qua in docto *Cap. 2.*

III. In citato *Cap. 2.* Clemens IV. ſecutus, ut ait, *antiquam conſuetudinem*, "auctoritate Apoſtolicæ ſtatuit, ut Eccleſias, dignitates, perſonatus & beneficia quæ apud Sedem ipſam Apoſtolicam deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, quacunque ſuper hoc ſit auctoritate munitus, ſive jure ordinariæ poteſtatis ipſorum electio, provisione, ſeu collatio ad eum pertineat, ſive litteras ſuper aliorum provisione generales vel etiam ſpeciales ſub quacunque forma verborum receperit, niſi ei ſit ſuperlatæ, conferendis eiſdem in Curia Romana vacantibus ſpecialis & expreſſa ab ipſo Pontifice ſummo auctoritas attributa) conferre alicui ſeu aliquibus non præſumat, mat.

IV. Rationem factæ reſervationis credit fuiſſe Gloſſographis ad *Cap. STATUTUM De Præbendis* in 6. ne Pa-

Pars II. Tit. XXIII. De Mandatis & Reſervat. Apoſt. 623

pa per Ordinarios præventur. "Habebant (ait) Episcopi ante conſtitutionem Clementis procuratores in Curia qui ſtatim cum vacabant beneficia, conferrebant illa: & ſic præveniebant Papam: unde motus Clemens promulgavit conſtitutionem.

V. Declaravit autem Bonifacius VIII. in *Cap. 34. De Præbendis* in 6. Decretum Clementis IV. "locum habere in Beneficiis, qui Legati aut Nuntii Sedis Apoſtolicæ vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab illa habere noſcuntur, ſi eos in locis vicinis ipſi Curiæ mori contingat: quemadmodum ſi in loco ubi eadem Curia reſidet, morerentur.

"Item ſi aliquis Curialis, peregrinationis, aut infirmitatis, aut recreationis ſeu quavis aliâ cauſâ ad locum Curiæ vicinum in huiusmodi loco vicino decedat: dummodo ibi (etiam ſi erat ad ipſam Curiam reverſurus) domicilium ſeu domus propria non exiſtat.

Deinde ſubjungit: "Loca verò intelligantur vicina eidem Curiæ in præmiſſis, quæ remota ultra duas dietas legales (quas hoc caſu ſic ſpecialiter volumus computari) à loco ubi moratur ipſa curia non exiſtant.

VI. Quamvis variis modis contingere poſſit, ut Beneficia vacant in Curia; puta renuntiatione, privatione, aliſque ſimilibus titulis, quos latius reſert Garcia de Benef. parte 5. cap. 1. §. 2. nihilominus, quia Bonifacius VIII. in citato *Cap. 34.* exponens Decretum Clementis IV. tantum loquitur de vacatione per obitum, receptum eſt, ſignanter in Gallia, quod ſola vacatio contingens in Curia per obitum, cenſeatur vacatio ad mentem Clementis IV. & conſequenter ſola Beneficia vacantia per obitum in Curia, ſeu loco vicino Curiæ habeantur pro reſervatis reſervatione *clauſa in Corpore Juris*; uti poſt Pinſonium de Beneficiis ad *verbum Canonica* §. 9. *num. 5.* monet Petardus Gaſtellus in Praxi Curie Romanæ pag. 186. edit. 1693.

VII. De his autem Beneficiis apud Sedem Apoſtolicam vel in Curia vacantibus, debet Pontifex intra menſem à die vacationis providere, alioquin dicto tempore elapſo, collatio ad Ordinarium revertitur; ut nimirum per ſepiſos aut ipſis in temotis agentibus, per ſuos Vicarios generales, quibus id canonicè fuerit commiſſum conferre valeant, *Cap. 3. De Præbendis* in 6.

VIII. Si enim intra menſem Sedes Apoſtolica non contulerit, ceſſat reſervatio; adeoque obſtaculum collationi Ordinarii injectum cenſetur ſublatum. Hoc igitur caſu propriè non fit devolutio à Pontifice ad ordinarium, quæ à Superiore ad inferiorem fieri nequit; ſed jus Ordinarii tantummodo relaxatur, ſeu impedimentum injectum tollitur.

IX. Vult autem Gloſſa ad dictum *Cap. 3.* verbo *Numerandum*, menſem hunc currere à die vacationis, non à die ſcientiæ; quam ſententiam ſequitur Antonius Faber ad *Codicem lib. 1. tit. 2. Def. 35.* & probat Chokier loco citato *num. 5.*

Ratio aſſignatur à Gloſſographo, quia "iſtud non ſtatuitur in odium negligentie Papæ, quia tunc non curret menſis iſte niſi à die notiæ, ſed ſtatuitur iſtud tempus in favorem Eccleſiarum, ne diu maneant ſine præſentate: ideo currit iſte menſis à die vacationis ut dictum eſt: ſecus in aliis temporibus relictiſ cateris prælatiſ, in odium negligentie eorum.

X. Termini huius præfixo locum non habet in aliis reſervationibus, aut in Beneficiis jure devolutæ ad Pontificem ſpectantibus. In horum enim provisione nullum reperitur tempus Pontifici præfixum, intra quod conferre debeat; aut quo elapſo reſervatio, multò minus devolutio ceſſet; uti notat Garciaſ.

XI. Ulterius declaratur in *Cap. 4. De Præbendis* in 6. quod ſi Sede Apoſtolicæ vacante, Eccleſias Parochiales Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

vacare contingeret, Ordinarii poſſint liberè ad earum collationem procedere; ſimiliter ſi vivente Pontifice vacaverint, ſed ante obitum de iſis non providerit. Ratio aſſignatur: *Ne iſarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre.*

XII. Hinc ostenditur, Pontifices ita Beneficia reſervare, ut nequaquam per eam ſaluti animarum aliquod diſpendium, aut diſpendii periculum generari velint: ipſamque animarum ſalutem omni reſervationi anteponeendam judicaverint.

XIII. Quamvis menſe non elapſo collationi ipſius Ordinarii viculū aliquod, vigore huius reſervationis, ſit injectum, credunt tamen non pauci, collationem Ordinarii factam ante menſem elapſum eatenus validam, ut ſi Pontifex intra menſem non contulerit, confirmetur, ſed potius non irritetur; exemplo collationis factæ ab Ordinario ſpreto Patrono; quæ Patrono non oppoſente, & intra tempus non præſentante, valida manet; uti infra titulo De Jure Patronatus dicitur. Vide Pinſonium loco citato *num. 17. & 18.*

XIV. Ad hæc, omnes quidem reſervationes paſſim à Canoniciſ dicuntur *odioſæ*; & eatenus juxta Regulā Juris, *Odia reſtringenda, favoris ampliandi*, etiam in dubio reſtringenda, ob præjudiciū quod inferunt collationibus Ordinariis, hoc tamen notant unanimi conſenſu, hanc reſervationem eſſe fortioſiorem, vehementiorem, & amplioris prerogativæ, omnibus aliis reſervationibus; uti poſt alios loquitur Gonzales ad regulā S. Cancell. *Gloſſa 13. n. 35.* idque in reverentiam loci ubi Sedes Apoſtolica reſidet, ait Gaſtellus in citata Praxi Curie Romanæ p. 186.

Unde & in Concilio Baſilienſi, quin & in Concordato inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Galliarum, ſublatis aliis reſervationibus, hæc una ſalva manſit.

XV. Inde etiam concludit ibidē Gonzales, quod niſi de illa fiat *ſpecialis & individua* mentio, non cenſetur comprehenſa in quacunque diſpoſitione Papæ vel narrativa. Quod adeo procedit (ait *nu. 36.*) ut neque per clauſulam *motus proprii*, in facultate conferendi quacunque Beneficia reſervata contentam, veniant Beneficia vacantia apud Sedem. Imò nec Cardinales vigore ſuorum Indultorum conferre poſſunt beneficia vacantia in Curia; Gonzales ibidem *num. 37.*

XVI. Monet Gaſtellus in citata Praxi Curie Romanæ pag. 190. quod ſi quis oriundus è Gallia reſideat in Curia Romana pro ſervitio Regis, Papa ſoleat ei dare ſpeciale Breve, quod dicitur, *De non vacando in Curia*; quod ita vocatur, quia vigore huius Brevis ſit, ut per obitum illius, Beneficia non cenſeantur vacare in Curia; ſcilicet eam effecta reſervationis; cui per Breve ipſe Papa pro hac vice renuntiat; permittitque Regi nominationem eo modo ac ſi nulla reſervatio interveſſet: ſoletque huiusmodi Breve per Oratorem Regium nomine Regis à Pontifice peti; uti patet ex formula ipſius Brevis, quæ ibidem pag. 191. à Gaſtello integra reſertur.

XVII. Reſervatio hæc quantumvis aliis reſervationibus fortior ſit & amplioris prerogativæ, habet tamen cum aliis reſervationibus id commune, quod ad beneficia juris patronatus laici non extendatur: quod non tantum in Gallia, ſed & apud Hiſpanos ſervari, notat Pinſonius loco ſuprà indicato *num. 8.* & latius deducit Carolus Fevretius tractatu *De Abusu* l. 2. c. 6. n. 13.

CAPUT IV.

De Reſervationibus contentis in Extravagantibus Execrabilibus & Ad regimen, & duabus primis Regulis Cancellariæ.

1. *Reſervationes contentæ in Extravagantibus à nonnullis creduntur clauſæ in Corpore Juris.*